

*De Commissione generali pro incorporatione Valachorum, Sclavorumque et Praedauciorum, aliarumque difficultatum complanatione; vel Executione, Varasдинi instituenda.*

### A r t i c u l u s 66.

Quandoquidem Generalis Valachorum et multo magis Sclavorum ac Praedauciorum in Confiniis Regnum Croatiae et Sclavoniae existentium, veluti in Literis Adjudicatoriis Palatinalibus Anni 1628. in Articulo 33. Anni 1635. approbatis, Regno et Regnicolis adjudicatorum cum plena Jurisdictione restitutio et reincorporatio tam suae Majestatis, quam Antecessorum suorum et peculiariter quidem Anno 1618. Statibus et Ordinibus clementer elargitis Diplomatibus, promissa celeberrimisque Regni hujus Constitutionibus, praesertim in eodem Articulo 33. Anni 1635. citatis, variisque deliberationibus in Comissione Varasdiensi praescito Anno 1635. celebrata, latis, sancita sit et deliberata; ut tandem praemissorum omnium hactenus inexecutorum realem fructum fideles Status et Ordines sese expertos persentiscant; communi omnium Statuum et Ordinum suffragio ac benigno suae Majestatis assensu conclusum est:

§. 1. Ut abhinc intra spatium sex Septimanarum in Libera ac Regia Civitate Varasdiensi (ex quo id juxta Articulum 31. novissimae Diaetae, in loco praesentiae suae Majestatis hactenus fieri non potuit) una Generalis Commissione instituatur (salva tamen ulteriori prosecutione, quodsi intra spatium sex Septimanarum ob graves aliquas causas eadem Commissione institui non posset permanente) ibidemque inter Commissarios utriusque partis cum plena potestate et mandatis sufficientibus ac Instructione, huic Statuto conformi, ac utriusque Commissariis, sub eodem tenore per suam Majestatem hic et nunc benigne concedendis, ad id destinatos; de iis universis et aliis, si quae restarent difficultatibus, hactenus nondum complanatis, quae in praecitato Articulo 31. Anno 1649. commemorantur, cum finali determinatione, juxta Articulos et Diplomata ac tenorem praescriptarum Literarum Adjudicatoriarum et Deliberationum, in dicta Commissione Varasdiensi latarum, tractetur et concludatur:

§. 2. Tali declaratione mediante: Quod si quae difficultates ibidem complanari non possent; eae in proxime futuram Diaetam rejiciantur et differantur.

§. 3. Pro qua quidem effectuanda finaliterque terminanda Commissione, ex parte Regni et Sacrae Coronae; Reverendissimus Dominus Paulus Hoffman, Electus Episcopus Quinque - Ecclesiensis pro Praeside: Ac Magnifici Caspar Szunyog et Adamus Cziraky: Egregius item Andreas Farkas: et alii priores Commissarii superstites, in Articulo 46. Anni 1647. declarati (non abstante unius vel alterius absentia, loco quorum Dominus Praeses alios surrogandi habebit autoritatem) denominantur.

*Difficultatum et Gravaminum omnium per Commissionem priorum Annorum decisorum, vel indecisorum, vel etiam post subsecutorum Decisio et Executio relegatur ad antefatam Commissionem Varasdiensem.*

### A r t i c u l u s 67.

Quia vero complura in proxime citata Commissione Varasdiensi, Anno 1635.